*pandonie / [***bathenie***] fuget. Calor autem lubistici mentem hominis illius letificat, quia tristis est, et sagimen anguille fixuram eiusdem morbi constringit, que eum surgere facit. Calor quoque vini eum magis quam aqua sedat, et hec omnia simul temperata, ut predictum est, morbum istum minuunt.* **16** Sed vesicam pavonis sicca et eam serva, **17** et si ulcus aut **slir** in aliquo homine ebullit, eam desuper liga, et suaviter rumpetur. Et postquam rumpitur, iterum eam desuper pone, et putredines illas extrahit, et tanto citius sanabitur. **18** *Et si cocturam habes, vesicam pavonis quam desuper ponis consue, et coctura tanto minus fetet, et etiam solummodo sordes et putredines extrahit et non sanitatem. Sed et de* ***plumvederen*** *eius* ***cloz*** *para et cocture inpone, et sordem et putredinem et quod nocivum est tantum extrahit, et minus fetere facit.* **19** *Ova autem pavonis ad comedendum homini non valent.* **20** *Nam ubi due nature in corpore uno sunt, neutra plenitudinem suam secundum quod iustum est habet. Sed in eis quedam inpedimenta et sanitatis et medicamentorum sunt quemadmodum et anima et corpus hominis multotiens sibi invicem adversantur.* **21** *Cetera autem que in eo sunt medicine non conveniunt.*

VI-4

Grus calidus est, et mundam naturam habet **2** et possibilitatem volandi et in terra eundi tenet. Et cum multitudine libenter volat, ut tanto facilius insidias effugiat. Et magnam virtutem in collo habet, et simplex est ac providus, et vigilem sensum habet, et artem hanc ut precaveat quod nec avis nec bestia eum facile ledere poterit. **3** Caro autem eius tam infirmis quam sanis ad esum bona est, **4** *nam grus calorem puri solis in se habet et in illo letatur; ideo carnes eius usui hominis utiles sunt.* **5** Sed ova eius ad comedendum non valent. **6** Homo autem qui a **giht** fatigatur, de carnibus eius frequenter comedat, et **giht** in eo cessabit. **7** Et qui **uich** habet, de iecore eius sepe comedat, **8** *et* ***uich*** *in eo conpescitur.* **9** *Et si **orfune*** *in homine rupte sunt, stomachum eius pulveriza et pulverem istum in locum ****orfune*** *proice et siccabuntur. Sed et ubi* ***snebelza*** *carnes hominis comedunt, de ossibus gruis pulveriza et pulverem istum super eundem locum liga et morientur.* **10** Et si **schelmo** porcos fatigat et occidit, rostrum gruis pulveriza, aut in **az / maz** quod comedunt aut in aquam quam bibunt pone, **11** et illis ad comedendum vel ad bibendum da, et melius habebunt, **12** et **schelmo** in eis cessabit. **13** Et de sanguine gruis sicca et serva, et dextrum pedem eius sicca; et si tunc interdum ulla femina in difficultate partus laborat, de sanguine isto in modica aqua **zedriue** / conminuatur, et cum illo super os vulve, scilicet superius inunge. Et in eadem aqua, sanguine isto permixta, fac ipsam feminam quasi in speculo se conspicere, atque dextrum pedem gruis super umbilicum eius liga, et tanta vis nature in istis est, quod clausa viscera et clause **lendenen** tanto citius ad partum aperiuntur. **14** Cetera autem que in eo sunt ad medicamenta non